

Foll. 20.421

20.421

PROPOSITIONES

DE LOCIS THEOLOGICIS,

Baurina

QUAS

PUBLICO CERTAMINI OFFERT

D. THOMAS COZERA , ET LOZANO,

In Collegio-Seminario Orcelemis Aca-
demiae Togatus Alumnus.

PRAESIDE


D. JOSEPHO LLEDÓ , ET ANTON,

Sacrae Theologiae Doctore , Locorum Theologicorum
Cathedrae suffecto , eiusdem Seminarii Alumno.

LOCUS CERTAMINIS EJUSDEM

Seminarii Templum.

DIE 107 MENSIS *Junii* ANNI MDCCLXXXI.



Oriolae : ExPraelo Josephi Vincentii Alagarda , &
Petri Ximenez , de Lopez.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DEPARTMENT OF CHEMISTRY

1948

REPORT OF RESEARCH

D. THOMAS DONOHUE

IN CONNECTION WITH THE

RESEARCH OF

DR. A. V. BOYD

D. THOMAS DONOHUE

DEPARTMENT OF CHEMISTRY

UNIVERSITY OF CHICAGO


CHICAGO, ILLINOIS

1948

RESEARCH ASSISTANT

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILLINOIS



CLARISSIMAE,

EXCELLENTISSIMAEQUE

D. D. MARIAE LUDOVICAE

CENTURION, & BELASCO, ARIAS, FER-
nandez de Cordoba, Carrillo de Albornoz, Car-
denas, Lopez de Aiala, Portocarrero, Ursino,
Mendoza, & Zapata, cet. Bigerrae Marchionis-
sae, Juliobrigae, Eliseda, Bedmar, Assentar,
Moya, & Villanueva del Fresno: Duci Ascalo-
nis in Carpetanis: Comiti Sancti Stephani de
Gormaz, & Castañeda: Dominae ditionum Ilar-
conis, Arcisque Garsimunotii, Jorquera, Sero-
nis, Tigiolae, Toloxii, & Mundae: Oppido-
rum Jumilliae, Alcalà del Rio Jucar, & Puer-
to seco, Garganta la olla, Bellomontanae Di-
tionis, Vallium de Toranzo, Buelna, Iguña,
Val-

Valde San Vicente , Rionansa , Tudanca , Valle,
& Honor de Sedano , Alfoces de Bricia , &
Sancta Gadea : Oppidorum de Piña , Avia de las
Torres , Santillana , Villa-Lumbroso , Isar , Vi-
llanueva de Argañó , Cartes , Pujayo , & Urbis
de Moguer. cet. cet. cet.

*Thomas Cozera , & Lozano
Felicitatem..*

A SPEXERE TANDEM , EXCELL. DOMIN.

*oculi mei auspicatissimum diem illum , quo per
incredibilem TUAM adversus me , meosque cle-
mentiam , humanitatemque supremum aurae favo-
rem*


rem licuit adipisci. i Diem verè beatum, quo excelsae TUI nominis maiestati, quod possum, maximum; sed certè tenuissimum Thesium harum musculum promerui consecrare! Simul atque a carissimo Avunculo felix iste nuntius delatus est; admirabundus equidem opstupui, rei percussus magnitudine, illudque poenè fugiebam, cuius tantopere iam diu flagrabam desiderio. i Quem enim vel leviter cordatum non terreat supremum illud honoris, & dignitatis fastigium, ad quod Maiores TUI nobilissimarum exercitatione virtutum, praeclarissimis rebus gestis, nulloque tempore intermorituris, suavissimorum denique integritate morum; non fluxarum opum, non ambiguae sortis, non instabilis fortunae beneficio pervenerunt, decurrerunt, advolarunt? Hoc pacto sibi ad immortalitatem prostravere viam. TE ve-

ro , Excell. Dux , eandem non tam premere,
quàm superare , non sine ingenti Hispaniae to-
tius , immo & universae Europae admiratione in-
tuemur omnes. Nec ullum nisi qui oculorum , men-
tisque lumine sit omnino destitutus , haec Sole cla-
riora in dubium adducere , multòque minus , ig-
norare posse censeo. ? Ecquis enim non videat,
corporis elegantiam , sermonis venustatem , egre-
giam membrorum commensurationem , verbo , gra-
tias omnes in TE ita micare , atque adamussim
respondere , ut omnium animos non allexeris modo,
sed etiam devinxeris. ? Mitto dignitatem sine fas-
tu , sine luxu magnificentiam , sine tumore gra-
vitatem , sine abiectione modestiam. Taceo in lit-
teratos amorem , in studiosos benevolentiam , in om-
nes comitatem. Libens praeterea praestitum miseris
solatium , erogatam pauperibus pecuniam , collatam

aegrotis opem : id sacrae Deo Virgines , id viduae,
id publica Xenodochia , id quotquot huius vitae
torquentur aerumnis , palam testantur : Haec , in-
quam , praetereo , quodlibet enim eorum non bre-
vem exigebat orationem. Levidense hoc munus ex-
plicata fronte complectere , celsissima Comes , dum
maiora tibi sistere festino , Deum O. M. interim
obtestans , ut Reipublicae , litteratorum , omnium
felicitati te ultra pensum vivere patiatur. E Col-
legio--Seminarioque Oriolensi Kal. Junii , Anni
M. DCC. LXXXI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

M. DCC. LXXI.



LOCORUM THEOLOGICORUM

NUMERUS, ORDO, ATQUE NATURA.

I.



E veneranda clarissimorum virorum praecepta insuper habere videamur; ab eo, quod reliqui caput est, à Locci, inquam, Theologici definitione, dicendi initium facere de-

crevimus. Eius nomine aliud nihil intelligimus, quam uberem, copiosumque fontem, ex quo argumenta & explicandae fidei, & dirigendis moribus apprimè idonea possit Theologus depromere.

II. Fontium horum numerum si quis denario minorem, aut maiorem esse contendat, potest quidem: attamen frustra id nobis tentabit persuadere.

A

Vin

2
III. ; Vin omnium specimen? En illud: Scriptura Sacra, Christi Domini, & Apostolorum traditiones, Sacrosancta Concilia, Catholicae Ecclesiae consensus, Romani Pontificis iudicium, auctoritas Sanctorum Patrum, Doctorum Scholasticorum, Historiae & Ecclesiasticae, & Prophanæ, Philosophorum, humanæ denique rationis.

IV. In hac copiosissima penu omnia Sacrae Scientiæ inlatebrantur argumenta, quibus instructus Theologus, imbecilla adversariorum tela retundet: verum errore capitur; qui omnia hæc Theologiæ propria putarit; obtinent enim id dumtaxat priora septem: reliqua velut ex alieno sunt emendicata.

V. Non itaque omnium vis una, sed impar eorum pondus; alia enim invictum omnino parant argumentum; alia vero non ita firmum. Ad singula pertractanda alacres accingimur.

SCRIPTURA SACRA.

I. **P**rimas sibi inter omnia vendicat *Scriptura Sacra*, quod quidem vocabulum vix dum ad aures nostras advolat, quum eo Dei verbum ab ipsomet scriptum intelligi, nobis perspectum est.

II. Non aliis adminiculis, quam Revelatione Divina eam homines esse assequutos, extra omnem
nem

nem est disputationis Ialem.

III. ; Revelationis Divinae necessitatem, utilitatemque quis umquam aptis poterit exprimere verbis ! Ergo haec viro Theologo magnopere censetur utilis, & valde necessaria.

IV. Scriptura Sacra & veteris, & novi Testamenti continetur libris, quorum legales quidam, quidam Historici, nonnulli Prophetici, Sapientiales alii.

V. Non possum quin illis subirascar, qui levibus innixi ratiunculis, libros hosce genuinos inficiantur; quum hoc ita sit clarum, quàm Sol iste, qui lucet.

VI. Sacros utriusque Testamenti codices substantialem passos esse depravationem, moluntur nonnulli, sed irrito conatu: à mendis tamen levioribus, quaeque minimi sunt momenti, Sacra Biblia immunia non iudicamus.

VII. Abeant malis avibus miseri illi homunciones, qui teterrima peste infecti, Deum O. M. saepius in Scripturis mentitum, impudenti ore asseverarunt; Deum namque deceptorem credere, nefarium, & impium esse, quis non facillimè intelliget?

VIII. Turpissimè quoque errat, qui sapientissimum Mundi Artificem, cuius nutu reguntur omnia

4
nia , per administrum vel ex ordinaria , vel ex
absoluta potentia , aut fallere , aut mentiri pos-
se stupidè arbitratur.

IX. Vitiosa nuce non faciam argumenta (potius
dixerim ineptias) illorum , qui sacris & veteris,
& novi foederis Scripturis Divinam denegant auc-
toritatem , ; quid enim illae sunt , nisi tricae
purae putae ?

X. ; Quae , malùm , isthaec impudentia est !
; Scripturae Sacrae sublimitatem pro captu suo
velle metiri ! ; Nonne somnium delirantis est , ex
quibusdam eius locis , quae prima fronte secum
pugnare videntur , non intellectis , aut extima fa-
cie tantum perceptis , illico conicere , mendacia
haec esse , quae Supremum Dominum habent auc-
torem ? ita inconsultè garrunt diabolares homi-
nes , quibus magis fatuos vidi nullos ; sed o quàm
scitè eorum superbiam protriverunt Ecclesiae Pa-
tres ! ; Quàm ;funditus eruditissimorum virorum in
Scripturam Sacram commentariis corruerunt fabu-
losa illa maenia ! ; Nos fortunatos , si tam ve-
nustas , suavesque elucubrationes potuissemus evol-
vere ! sed quandoquidem per tempus , cuius pre-
mimur inopia , non licet ; illas tantum antilogias
(nec pudet referre) conciliare tentabimus , quas
Cl.

Ol. Melchior Canus secundo de Locis Theologi-
cis libro, II., & XVI. capite; Carolus Billuart
tract. de Relig. Diss. IX. art. II., ac Petrus An-
natus secundo Appar. libro, XII. & XIII. cap.
feliciter extricant.

XI. Ergo Scripturarum Sacrarum Deus princeps
est auctor; homines vero instrumenta; eorum enim
cui amanuensium operà usus est.

XII. Singulas Scripturae Sacrae sillabas, apices,
particulas ab Spiritu Sancto esse dictatas, nobis
est probabilius; nec tamen primi subsellii Theo-
logos extare ignoramus, qui plurima ab Scrip-
toribus sacris esse ad libitum expressa, providen-
te solum Deo, ne quid vitiosum irrepat, vali-
dis contendunt argumentis.

XIII. Canonis nomen quid hic sibi velit, ex-
plorata res est; nempe sacrorum librorum indi-
cem, seu catalogum, quem triplicem esse, Ju-
daeorum, Catholicorum, & haereticorum, aper-
tè fatemur.

XIV. Judaeorum canon duobus supra viginti
libris unicè concluditur: ergo addendum nihil?
sanè nihil.

XV. Plures olim apud eos extitere libri, qui
nec hodiernam, immo nec Josephi aspexerunt aeta-
tem;

tem ; sed numquidne eiusmodi libri fuerunt canonici ? haeremus in salebra : unde quid verosimilius appareat , in agone.

XVI. Judaeorum canonem ab Esdra conditum , arbitramur . Ast quo pacto id ab eo effectum ? et combustine sunt libri in Hierosolymorum excidio ? et perieruntne omnes in Babylonica captivitate ? et integrosne ad verbum ex memoria dictavit ? minimè quidem : in unum corpus redegit eos dumtaxat , eorumque menda repurgavit.

XVII. Hosce & veteris , & novi Testamenti libros quovis saeculo complexus est Catholicorum canon , Moysis Pentateuchum , librum Josue , Judicum , Ruth , Regum quatuor , Paralipomenon duos , Esdrae , & Nehemiae duos , Job , Psalterium CL. Psalmorum , Proverbia , Ecclesiasten , Canticum Canticorum , Prophetas maiores quatuor , Prophetas minores duodecim : Matthaei , Marci , Lucae , Joannis Evangelia , Apostolorum Acta , omnes Pauli epistolas , eà tantum , quae ad Hebraeos est , excepta , duas epistolas canonicas , videlicet , Petri unam , Joannis alteram.

XVIII. Haudquaquam tamen arbitror , mox recensitis canonem hodiernum constitui , sed omnibus eis , quorum catalogum sessione IV. texit Synodus

nodus

nodus Tridentina. E re nostra erit singulos recensere.

XIX. Libros omnes, quorum Tridentinum meminit Concilium, non interrupta serie inter canonicos fuisse collocatos, nobis persuadere nequimus; plures enim modo sunt, qui pro sacris olim non habebantur. ; Ecquānam hi? in Palaestra.

XX. ; Vah quāam dementes! ; quāam mero ingurgitati! ; quāam cavillandi arte periti! pro sua quisque libidine canonem sibi fingunt heterodoxi; sed eorum deliria missa faciamus. Haec qui audire desideret, sciscitetur a nobis.

XXI. Uno excepto Daniele, quem Chaldaico sermone conscriptum, nobis exhibet Hieronymus; reliqui, qui vetere Judaeorum canone continentur, Hebraica lingua sunt exarati.

XXII. Quos antiquo Judaeorum canoni adiecit Christianorum Ecclesia, quosdam Hebraica, quosdam Chaldaica, nonnullos Graeca lingua sacri pinxerunt Scriptores.

XXIII. Quod ad novum spectat Testamentum, eius libri graecè editi sunt ab Apostolis: excipe Matthaei Evangelium, Paulique ad Hebraeos epistolam, quae duo litteris conscripta sunt Hebraicis.

XXIV. Hodiernus veteris Testamenti textus Hebraicus non ita purus est, ut nulla levis momen-
ti

ti errata, nulla menda in eum irrepserint; cave tamen ne in substantialibus idem accidisse putes.

XXV. De Graeco novi Testamenti textu idem esto iudicium.

XXVI. Si Graecarum veteris Testamenti versionum numerum investiges, discrepantes invenies Scriptores, queis omissis, sententia Bellarmini decem esse contendentis, nobis prae ceteris arridet.

XXVII. Reliquis omnibus antecellit ea, quae Regium obtinente Principatum Ptolomaeo Philadelpho tertio ab Alexandro Magno Rege Alexandriae in Aegypto, seu in vicina urbi illi insula Pharo a duobus supra septuaginta senioribus Legis, & linguarum peritissimis fuit adornata.

XXVIII. Quo regni Ptolomaei Philadelphi anno Versio haec fuerit incoepta, anceps res est; sed quantum ad eam absolvendam temporis impenderint, satis est perspicuum.

XXIX. Dubium inter eruditos consurgit, num laudatae Versionis auctores singuli e septuaginta separatim, an bini, & bini, an potius omnes inter se conferentes eam ediderint? Priori sententiae Justinus, alteri Epiphanius, tertiae Hieronymus adhaeret, a qua ne latum quidem unguem discedemus.

XXX. A vero nobis prorsus alienum videtur, Ægypti Regem, qui antiquitatis monumenta summo conquirebat studio, de Pentateuchi textu sollicitum fuisse dumtaxat: ergo ceteros appetiit, curavit, concupivit, quos & septuaginta etiam vertere.

XXXI. Graeca septuaginta Interpretum Versio ad dogmata fidei stabilienda, moresque nostros ad rectam legis normam exigendos, & olim, & nostra hac aetate maximae fuit auctoritatis. In Chronologia fuisse corruptam non diffitemur.

XXXII. Totum contererem diem, si Latinas veteris Testamenti ex Graeco fonte Versiones ante Hieronymi tempora elucubratas, recensere vellem; quum ita multae extiterint, ut vix, si Augustinum audias, possent numerari.

XXXIII. Latinas inter Versiones illas, quae antiquitus circumferebantur, primas tenebat ea, quae *Itala* dicebatur, quaeque in Occidentis obtinuit Ecclesiis.

XXXIV. Hieronymus, cuius ingenium praestantissimum, eruditio summa, ad litteras indefessa assiduitas, immane quantum pro Matre Ecclesia adlaboravit. Vetus Testamentum in Latinum vertit sermonem; novum vero iuxta Graecam
 B
 veri-

veritatem emendavit : & at quo modo & Versio, & emendatio audiit ? Est ne ulnis obviis excepta ? obstreperene adversarii ? dicam interrogatus.

XXXV. Ad Vulgatam Latinam Versionem nostra convertitur oratio : ad Vulgatam, inquam, quam furore perciti heterodoxi, vitiatam arbitrantur. Sed quis non videat, eos studio omnia innovandi inconsultè garrere ? Eorum temeritatem, & audaciam profligavit, destruxit, ad incitas redegit sacra Synodus Tridentina, quae eam authenticam declaravit.

XXXVI. Ast quo sensu ? Hebraicisne, Graecisque fontibus anteposuit ? En adversariorum calumniam, quam referre, refutasse sit.

XXXVII. Neque eo sensu eam authenticam declaravit Concilium Tridentinum, quasi Hebraeus, Graecusque textus authenticici non sint ; utriusque enim authenticitas nullatenus inter se pugnat.

XXXVIII. Ergo eo sensu, ut menda nulla, nullaque errata in ea reperiantur ? apage fabulam.

XXXIX. Eo igitur sensu à Tridentina Synodo authentica declarata est, quod à vero, & primario Divinae Scripturae sensu in iis, quae alicuius sunt momenti, minimè discrepet ; quodque in
capi-

capitibus ad fidem, moresque pertinentibus non sit corrupta. Estne id temerè factum? immo potius iure optimo.

XL. Catholicas Bibliorum Versiones vernaculo sermone legere, in se malum non est, ideoque nec eo modo ab Ecclesia interdictum.

XLI. Potest ramen pia haec mater, habita personarum, loci, temporisque ratione, vernacularum Versionum etiam Catholicarum lectionem nonnullis interdicere.

XLII. Scripturam Sacram plures quandoque sub una littera continere sensus, Catholica edocemur fide.

XLIII. In litteralem, mysticum, & accommodatitium Scripturae sensus adaequatè partitur.

XLIV. Sub uno Scripturae loco plures nonnumquam latent litterales sensus, idque nobis omnino certum.

XLV. Triplex est mysticus Scripturarum sensus, allegoricus, tropologicus, & anagogicus. Eorum notiones interroganti aperiam.

XLVI. Accommodatitium sensum in Sacris litteris admittimus, quum nobis sit probè notum, Sanctos Patres eo non semel usos.

XLVII. Nonnullas adferunt Sacrae Scripturae

Interpretes conditiones ; ut ei accommodatius sensus tribuatur. ; Quenam hae ? audies.

XLVIII. Ad probanda fidei , & morum dogmata nullatenus potest firmum ex accommodatio sensu desumi argumentum.

XLIX. Scripturam quoad quaedam capita claram , ac perspicuam esse , ut nullius explicatio-
ne indigeat , vix est , qui audeat inficiari.

L. Eam omnibus indiscriminatim perviam esse , contendunt haeretici ; verum eorum insaniae quis credet , quum & ipsis ignorantia , & stupiditate obductis etiam luculenta fiant obscura.

LI. Eò dementiae Lutherus , & Calvinus sunt prolapsi , ut , facultate suis concessa liberè de Religione disputandi , iudicem finiendae litis sustulerint omnem , ipsosque disputantes , privato spiritu actos , iudices voluerint constituere ; verum quàm absurdè !

LII. Externa itaque requiritur auctoritas , quae in plerisque capitibus fidelibus tradat germanum Scripturae sensum.

LIII. Haec in supremis Ecclesiae Pastoribus , Romano nimirum Pontifice , aliisque Orbis residet Episcopis.

CHRISTI

CHRISTI DOMINI, & APOSTOLORUM

traditiones.

I. **A**D ravim usque clamitant Lutherani, & Calvinistae, qui in id suum omne convertunt studium, ut ingentia Fidei, & Religioni pericula, & incommoda oritura demonstrent, si Traditionem sartam tectam conservemus, ac uti Catholicae Fidei regulam constituamus; verumtamen pericula fingunt, ubi nulla reipsa sunt; quare videant, an non ipsi potius, qui Traditiones eliminare tantopere optant, gravioribus incommodis implicentur. Haec inquirere nostrum est.

II. Traditio aliud non est, quam ipsummet Dei verbum, non quidem scripto Divino consignatum, sed á Deo ipso primis suis ministris ore tenus declaratum, ac tum subinde ab illis ad nos usque ore ad os, ac veluti per manus continua serie derivatum.

III. In varias secatur traditionis species, quas cum subiectis sibi notionibus exhibere, nobis non erit iniucundum.

IV. Tempore, quod ab Adamo ad Moysem usque interfluxit, Divinae extiterunt Traditiones, neque enim alia tunc erat fidei, morumque regula.

Tra-

V. Traditionibus tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus, Mosayca Lege vigente, utebantur Judaei, quibus nec Divinae deerant Scripturae.

VI. Evangelicae Legis initio pluribus annis Traditio Divina fuit omnino necessaria.

VII. Inter Catholicorum Theologos ne unum quidem reperies, qui Divinas Traditiones his etiam temporibus Ecclesiae necessarias inficietur; ergo proprium id est heterodoxorum, qui, quod iugulum peteret traditio, turpiter de medio eam tollere, moliti sunt.

VIII. Maneat ergo, certissimum, invictumque ex Traditione Divina desumi posse argumentum.

IX. Certis quibusdam regulis Divinae Traditiones dignoscuntur.

X. Prima. Illud Divina traditio non est, cuius, licet in tota servetur Ecclesia, aut in Summorum Pontificum Decretis, aut in Conciliorum canonibus, aut in Patrum statutis initium reperitur.

XI. Secunda. Non Divina, sed humana, non tradita, sed inventa est Doctrina, quae in particulari dumtaxat invenitur Ecclesia.

XII. Tertia. Humanum est, non divinitus tradi-

ditum dogma, quod contra communem aliorum sententiam ab uno tantum, aut duobus etiam antiquis scriptoribus, immo & tota aliqua particulari urbe, aut Provincia docetur.

XIII. Quarta. Dogma, quod universa amplectitur Ecclesia, quamvis in sacris litteris non reperiatur, Divinae Traditionis est.

XIV. Quinta. Doctrina, quam universa Ecclesia quovis saeculo propugnavit, Divinae Traditionis est, licet in libris canonicis non inveniatur.

XV. Sexta. Praxis, quam solus Deus potest instituire, ex Apostolica Traditione descendit, si ab universa servetur Ecclesia.

XVI. Septima. Quae in universa Ecclesia quovis saeculo continua, & non interrupta serie conservata est praxis, quaeque originem suam à Conciliis ducere non videtur, haud immerito ab Apostolis instituta censetur, quamvis eius sit generis, ut ab Ecclesia institui non repugnet.

SACROSANCTA CONCILIA.

I. **M**Inus profecto Fidei tutelae, ac defensionis provisum esset, si solis inanimatis, ac mortuis regulis, Scriptura nimirum, & Traditione
nite-

niteretur. Quum enim aut hominum ignorantia, aut eorumdem perversitate mortuae illae regulae in peregrinos flecti possent sensus, penitusque obscurari, (quod fatali experimento omni retro aetate in haereticis comprobatum est;) necesse omnino fuit, viventes regulas á Deo dari, quae omnem de fide controversiam dirimerent. Inter eas reperire est Concilium.

II. Eo nomine congregationem, seu Ecclesiae Praelatorum sub uno legitimo capite conventum intelligimus ad dirimendas fidei controversias, condendasque leges componendis fidelium moribus opportunas.

III. Ex Conciliis quaedam sunt generalia, quaedam particularia: haec rursus in Nationalia, Provincialia, & Dioecesana dividuntur.

IV. Quae tribus prioribus saeculis celebrata fuere Concilia, ab Ecclesia, quatenus solos animarum Pastores complectitur, convocata sunt.

V. Sequentium temporum priora octo generalia Concilia convocarunt Imperatores Christiani; reliqua vero, quae habita sunt deinceps, indixere Romani Pontifices.

VI. Synodos convocare ad Ecclesiam spectat, prout Pastores complectitur animarum: ergo ius

id

id ad nullum praeter eos deferri potest? ad nullum equidem.

VII. Dioecesana Concilia ab Ordinario loci, Provincialia a Metropolitanis, Nationalia a Primatibus debent convocari.

VIII. Jure Divino supremo Ecclesiae capiti, scilicet Romano Pontifici, ordinaria convocandi Concilia generalia convenit auctoritas: hanc Imperatoribus adiudicant Protestantes, verum turpiter aberrant.

IX. Non tamen ii sumus, qui alteri quam Romano Episcopo, ius Concilia generalia convocandi aliquoties convenire negemus.

X. Laici homines, etiamsi sint eruditionis, atque doctrinae laude conspicui, tamquam controversiarum iudices in Conciliis admittendi non sunt.

XI. Episcopos suffragio, ut aiunt, decisivo, ac definitivo in Conciliis potiri, verosque doctrinae Iudices Divino Jure illic sedere, operosum non erit demonstrare.

XII. Aliquibus abhinc saeculis Cardinales, Abbates, ac Generales Ordinum Praepositos, quamvis Episcoporum titulo nullatenus gaudeant; in Conciliis suffragium decisivum ferre, scitum, vul-

C

ga-

gatumque est.

XIII. ; Reperistin ullam unquam legitimam Synodum , cui quoad directionem , & suffragium praefuerint Imperatores ? si omnes diligenter investigates , invenies nullam.

XIV. Si autem materialem locum attendas , plerisque generalibus Conciliis praefuisse eos , libenter adserimus , utpote qui sciamus ordini servando , conciliandaeque paci id fore peropportunum.

XV. Unum , vel alterum deme , reliquis omnibus generalibus Conciliis seu per se , seu per Legatos Romani Pontifices praefuerunt.

XVI. Romanus Pontifex tantum ius habet ordinarium generalibus Synodis praesidendi ; ; quid enim e recta ratione magis esse potest , quam membrum praeesse caput ?

XVII. Dioecesanae , Provinciales , Nationales Synodi non sunt Divinae auctoritatis ; unde ex iis pro Fide , aut moribus infallibile erui non potest argumentum.

XVIII. Verum tametsi sive Dioecesana , sive Nationalis Synodus non sit infallibilis ; tantae tamen est auctoritatis , ut gravissimae temeritatis reus esset , qui eiusdem canonibus non acquiesceret;

ceret ; modo eis maior aliarum Ecclesiarum pars non repugnet.

XIX. Generalia Concilia , quibus nullae desunt requisitae a Catholicis conditiones , infallibilitatis dono ornata sunt ; hinc ex eis pro Fide , & moribus certum omnino desumitur argumentum.

XX. De Conciliorum utilitate apud nos dubitare non licet ; sed apud eos dumtaxat , qui iudicem , a quo damnentur , tentant excludere.

XXI. Ex eis quaedam , ut emergentes dirimantur controversiae , sunt admodum necessaria.

XXII. Generali opus est Concilio , quando plures insignes Ecclesiae aut schismate laborant , aut errore ; ita enim fiet , ut schismatis tollatur occasio , aut veritas Catholica definiatur.

XXIII. Praecipuas , propter quas generalia Concilia celebrari debent , causas , referam ex Bellarmino.

XXIV. Haecenus de Conciliis in genere disseruimus , verum quum perfecti Theologi partes adimplere nequeat , qui eorum notitia caruerit ; ideo nos probè facturos existimavimus , si suavissimo hoc studio , quantum per tempus licuit , animum recrearemus. En itaque , eorum , quae Cl. Jueninus tradit , ortum , progressum , exitum,

tum , convocationis causam , tempus , praesidem , quid ad Fidem , moresque spectans definitum fuerit , vobis exponere pollicemur. Si autem laudatus auctor in promptu non est , vel etiamsi sit , eum evolvere non libet ; haec quae sequuntur Concilia , ea esse quae offerimus , scitote : Nicaenum I. & II. Constantinopolitanum I. II. III. & IV. Ephesinum I. Chalcedonense , Lateranense I. II. III. & IV. Lugdunense I. & II. Viennense , Constantiense , Basileense , Florentinum , & Tridentinum. Volumus tamen , intelligatis , omnia haec non in contentionem adduci : ergo simplici , brevique narratione singula percurremus.

VERA CHRISTI ECCLESIA.

I. **A**Gni immaculati sponsa , quae furentes in se omnis generis hostes debellavit , paganos Philosophos sapientia devicit , saevissimos Tyrannos constantia domuit , perduelles haereticos intemperate Fide prostravit , schismaticos unitate subigit , impiosque evertit omnino ; quae in persecutionibus infracta permansit ; inter errorum scopulos , & haeresum tempestates immota , in expugnandis vitiis indefessa , obscurioribus etiam
tem-

temporibus pulchra ; haec , inquam , sponsa ipsamet est Ecclesia , adversus quam infelici exitu Lutherani , & Calvinistae pugnaverunt.

II. Graecum itaque nomen *Ecclesia* est , quod latinè convocationem significat , eiusque essentia hac clauditur definitione : Coetus Sanctorum sub uno capite Christo Deo servientium. In triumphantem , militantem , & patientem distinguitur. Nos de militante.

III. Fidenter Ecclesiae dignitatem , & excellentiam evehere sibi fingunt Lutherani , & Calvinistae , dum eam ex solis praedestinati conflatam esse contendunt ; sed eos ita loqui , ut huic errori alium adnectant , non est difficile divinare.

IV. Catechumeni actu in Ecclesia nullatenus reperiuntur.

V. Turpiter aberrarunt Cathari , & Donatistae , qui omnes eos ab Ecclesia excludebant , qui culpa aliqua essent infecti ; quum non iusti solum , sed gravissimi etiam peccatores , sive occulti sint , sive publici , intra eius fores recenseantur , si Fidem exterius non negaverint.

VI. De Ecclesiae corpore esse infideles occultos non negamus , si sacro Baptimatis lavacro fuissent regenerati , & in externa cum fidelibus com-

communione sub legitimis Pastoribus commorantur.

VII. Jurius, aliique malè feriati homines quum veram Christi Ecclesiam congeriem omnium sectarum, quae fundamentales, ut aiunt, Fidei articulos non everterint, esse doceant; publicos haereticos, & manifestos schismaticos in eius sinu collocare non dubitant; verum tam frustra id requirunt, quam ab asino lanam.

VIII. Cúm extra veram Ecclesiam salus possit esse nulla, eamque teneamur in omnibus auscultare, illiusque legibus regi, praeceptis imbuí, eiusque praepositis gubernari; illud est praeter ceteris necessarium internoscere, quae vera Ecclesia sit, in cuius sinu vivere oporteat. Id ut noverimus, quatuor praefiniuntur sensibiles notae, seu characteres, quibus a pravis quibusvis sectis vera Ecclesia secernatur: videlicet: *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.*

IX. Una est, non multiplex Jesu Christi Ecclesia, eaque unitas in tribus posita est, in eadem nempe Fide, eisdem omnino Sacramentis, eisdemque tandem Ministris, & Pastoribus.

X. ¿ Unitatis Ecclesiae centrum quid aliud est, nisi Romana Sedes?

XI. Et vocationis, & professionis sanctitate sancta

ta est Ecclesia : & eadem gaudet praerogativa aliqua heterodoxorum secta ? apage nugas ; tota enim earum sanctitas pura est chimaera , merumque figmentum.

XII. Internam quoque plurium membrorum sanctitate coruscat Ecclesia.

XIII. Nomen hoc *Catholica* verae Christi Ecclesiae , eique soli convenire , vel caeco esset perspicuum. Quo tempore hoc nomine vocari caeperit , dicam interrogatus.

XIV. Ex voce hac *Catholica* firmum pro vera Ecclesia desumitur argumentum , vel Christianam societatem , quae verè est Catholica , veram Christi Ecclesiam esse , certò demonstratur.

XV. Et secundum doctrinam , & secundum auctoritatem Romana Ecclesia dicenda est Apostolica ; ea enim tantum Apostolorum doctrinam , quam a Christo suxere ipsi , immaculatam perpetuo custodit , Praesulumque successionem recta serie ab illis recenset.

XVI. Invisibilem esse Ecclesiam commenti sunt heterodoxi elapsorum proximè saeculorum , ut Catholicorum argumenta declinarent , neque enim melius sibi cavere posse , quàm ad invisibilem speluncam confugiendo , autumarunt.

Eam

XVII. Eam etiam secundum visibilem, exter-
namque partem, indeficientem esse, in dubium
adducet ille tantum, qui Scripturam Sacram ex-
tremis labris nondum degustarit.

XVIII. Unanimis particularium omnium Eccle-
siarum in unum dogma consensus Fidei efficit
articulum.

ROMANI PONTIFICIS JUDICIUM.

I. **I**N scenam prodeunt heterodoxi, qui quod
in Romanos Pontifices virus excoquunt, in Di-
vum Petrum primò omnium effundunt; eò quod
persuasum sit illis, suprema auctoritate exutum
iri Romanos Pontifices, si eà exutus conspicia-
tur Petrus. Itaque nullà Petrum in ceteros Apos-
tolos auctoritate valuisse, primatum in illos nul-
lum a Christo Domino suscepisse, momentis lon-
gè multis evincere satagunt. Eos tantum abest ut
nos probemus, quin potius Petrum non solùm
honoris, & dignitatis, sed potestatis, & iuris-
dictionis primatum a Jesu Christo obtinuisse,
validis conficiemus argumentis.

II. Vel ipsa Ecclesiasticae Historiae rudimenta
ignorare eos videmus, qui Sancti Petri Romam
ad-

adventum reiiciunt. Ergo illuc petiit? immo & Romanae Ecclesiae fundamenta iecit.

III. Eius tenuit clavum ab anno Claudii secundo ad mortem usque, quam subiit ibidem.

IV. Romanus Pontifex Petri successor supra Episcopos universos ceterorum Apostolorum in Ecclesiae regimine successores tenet primatum: unde eis auctoritate, potestate, iurisdictione superior est.

V. Romani Pontificis de aliqua controversia iudicium locus Theologicus est.

VI. Quisque Episcopus Fidei, morumque controversiarum iure Divino censendus est Judex.

VII. Licet irrefragabile non sit latum ab Episcopis extra generalia Concilia de Fide, aut moribus iudicium; eius tamen, nisi evidens sit error, ratio debet haberi.

SANCTORUM PATRUM AUCTORITAS.

I. **J**Am inde a sua institutione Patres, & Doctores Ecclesia habuit, habebitque usque ad Mundi consummationem, qui in haereticos sacrum Fidei depositum invadentes eruperunt, ut dogmata Christi ab istorum erroribus custodirent, qua-

D

propter

propter is semper Ecclesiae mos fuit, ut in rebus Fidei decernendis, Patrum, & Doctorum, qui sanctitate, & doctrina floruerunt, sententiam investigaret. Id Lutherus vituperat factum, atque elato supercilio aspernatur, quasi uni Luthero, eiusque gregalibus; non Patribus datum sit Evangelii sensum aperire. Eorum iam auctoritatem videamus.

II. In iis, quae ad Fidem, & mores attinent, unanimis sanctorum Patrum sensus sententiam reddit certissimam, & ineluctabilem, quae in disputationem revocari a Catholicis nequit.

III. In controversiis, quae Scripturas sanctas, vel Fidem spectant, plurium Patrum auctoritas, si alii dissentiant, articulum de Fide non efficit, sed tantum sententiam valde probabilem.

IV. Unius, aut alterius Patris de rebus Theologicis sententia, aliis de eà silentibus, firmum non sufficit argumentum.

V. In Philosophicis disciplinis, sicut & in ceteris aliis quae nec Fidem, nec mores spectant, non plus auctoritatis habent Ecclesiae Patres, quam quod praeferunt illorum rationum momenta.

VI. Prudentem lectorem, qui de *Cedrorum Medulla*, id est, Ecclesiae Patrum doctrina cibum

su-

sumit, in legendis eorum scriptis humilitate, rec-
tâque mente instructum esse oportet: iis cautio-
nes nonnullae sunt adhibendae. De eis sermonem
instituere non gravabimur.

SCHOLASTICORUM DOCTORUM

auctoritas.

I. **P**rotestantes omnes sycophantam, & apos-
tatam Lutherum, quem *Beatum Reformatorem cas-
tissimae Christianae Theologiae* appellare haudqua-
quam illos pudet, miris extollunt praeconiis,
quod in Scholasticen Facultatem furenter debac-
chatus sit; & verum quis non videat, huc Lu-
theri molimina collineare, ut a vera Christi Ec-
clesia, in qua regenitus fuerat, aliorum haere-
siarcharum more, impudentissimè desciret? huc
pertinent eius conatus; sed Scholasticae Theo-
logiae abusum cum ea Disciplina maledicentissi-
ma fraude commiscet.

II. Unde in iis, quae ad Fidem, aut mores
pertinent, nulla debet haberi ratio Scholastico-
rum, qui nec Scriptura, nec traditione, sed so-
lâ humanâ ratione, & recentiorum auctoritate
sua placita confirmant.

D 2

Plu-

III. Plurium Scholasticorum, ex his etiam, qui placita sua ad Scripturae, & Patrum normam exigere profitentur, consensus in aliquod dogma, si alii insignes, licet numero pauci, dissentiant, non maioris est ponderis, quam rationes, quae ab ipsis prodicuntur.

IV. Ex Doctorum omnium Scholasticorum communi sententia, in re quidem gravi, usque adeo valida sumuntur argumenta, ut illis refragari si quis audeat, temeritatis notam minimum non effugiet.

V. Nec latum a Theologicis Facultatibus, quae doctrinae, & eruditionis famam magnum sibi nomen pepererunt, iudicium despiciendum est.

HISTORIA HUMANA.

I. **V**iri omnes docti in hoc consentiunt, rudes esse Theologos illos, in quarum lucubrationibus muta est Historia. Multa enim e thesauris suis Historia suppeditat, quibus si careamus, & in Theologia, & in quacumque ferme alia facultate inopes saepenumero, & indocti reperiemur.

II. Ergo & profanae, & Ecclesiasticae Historiae

riae cognitio Theologo est summopere utilis.

III. Nonnullae regulae traduntur, quibus verae a fictis Historiis dignoscuntur. In eis recensendis, explicandisque, dum libuerit.

IV. Si eos demas Auctores, qui Spiritu Sancto inspirati, opera sua litteris mandarunt, Historicum invenies nullum, qui certus esse possit ea, quae Fidem generet, certitudine.

V. Graves, ac fide digni Historici, quales sive in Ecclesiasticis, sive in saecularibus nonnumquam reperire est, probabile Theologo suppeditant argumentum.

VI. Probati omnes, ac graves Historici, nullo contradicente, factum aliquod enarrantes, viro Theologo certum argumentum subministrant.

PHILOSOPHORUM AUCTORITAS.

I. **A**bsurdè nimis ex Theologicis Disciplinis exulare Philosophica studia optant nonnulli; sed ideo haec illis incessit libido, quod tanquam noctuae, adiumentum, quod inde sequitur, non percipiant. Porro utilia haec quidem sunt, tum ut disputandi ars melius teneatur, tum ut sophistae, qui cavillatoriis ratiunculis Catholica adnuntun-

tuntur dogmata obscurare, refellantur.

II. Philosophorum auctoritas eorum, qui falsam senserunt, nostram non potest adiuvere doctrinam, & latentia cognita facere: paucos igitur hos, qui naturae vim, & effecta, morum, ac vitae normam via, & ratione investigarunt, magnaque ex parte sunt consequuti, Theologis utiles esse contendimus.

III. Philosophorum auctoritas, & unanimes in rebus Theologicis consensus articulum Fidei minime efficit.

IV. Philosophorum omnium una, eademque consensus certam facit fidem dogmatis Philosophici.

V. Cum vero de unius, aut alterius Philosophi secta disseritur, quod quisque doctior, & gravior fuerit; eò est illius quidem & probabilior auctoritas, & fide dignius testimonium. Sed nulli Theologus ita sese debet adiudicare, ut ne latum quidem unguem ab eo discedat.

NATURALIS RATIO.

I. **E**rrant profecto illi, qui solis sacrarum litterarum testimoniis, aut interdum etiam Scriptorum veterum omnia definiunt, ab argumentis natu-

naturae haud aliter abhorrentes, quàm si essent Theologiae adversa, & inimica.

II. Naturalem rationem utiliter a Theologis consulendam esse, inficiabitur dumtaxat ille, qui cimmeras tenebras incoluerit.

III. Communia rationis naturalis principia certum Theologo argumentum sufficiunt.

IV. Conclusiones vero, quae alià, quam per demonstrationem vià ex illis inferuntur, probabile tantum argumentum.

PROPOSITIONUM CENSURAE.

I. **H**Actenus Theologorum fontium, quorum notitia ita est Theologo necessaria, ut sine eà Disciplinae huius divitias nec possit degustare, vim, copiam, & energiam exposuimus: reliquum est, ut quibus censuris affici debeant propositiones, investigemus. Octo passim recensentur. Alia nimirum est propositio haeretica, alia erronea, alia scandalosa, alia blasphema, alia piarum aurium offensiva, alia temeraria, alia seditiosa, alia denique suspecta.

II. His propositionum censuris quidam addunt sequentes: haeresi proximam, sapientem haere-

re-

resim, suspectam de haeresi, improbabilem, male sonantem, & damnabilem. De iis omnibus sermonem instituemus. His ventum ad metam, hi anni huius labores, hi fructus, quos qui uberiores desideret, alium quaerat qui validiore polleat ingenio.

Vt. Joseph Episc. Orcel.

Vt. D. Josephus Emmanuel Balaguer

Cens. Regs.

Vt. D. D. Salvator Puche

Stud. Regs. & Rector.